apostata uir inutilis graditur ore peruerso.
Annuit oculis. terit pede. digito loquitur.
Prauo corde machinatur malum: et in omni
tempore iurgia seminat. Huic extemplo ue-
niet perditio sua: et subito conteretur: nec ha-
bebit ultra medicinam. Sex sunt que odit
dominus. et septimum detestatur anima eius.
Oculos sublimes. linguam mendacem. manus
effundentes innoxium sanguinem. cor ma-
chinans cogitationes pessimas. pedes uelo-
ces ad currendum in malum. proferentem men-
dacia. testem fallacem. et eum qui seminat
inter fratres discordias. Conserua fili mi pre-
cepta patris tui. et ne dimittas legem matris
tue. Liga eam in corde tuo iugiter: et circum-
da gutturi tuo. Cum ambulaueris gradiantur
tecum. cum dormieris custodiant te: et ui-
gilans loquere cum eis. quia mandatum
lucerna est. et lex lux: et uia uite increpa-
tio discipline. ut custodiant te a muliere
mala. et a blanda lingua extranee. Non
concupiscat pulchritudinem eius cor tuum:
ne capiaris nutibus illius. Pretium enim
scorti: uix unius est panis. Mulier autem uiri
preciosam animam capit. Numquid abscon-
dere potest homo ignem in sinu suo. ut ue-
stimenta illius non ardeant: aut ambulare
super prunas. ut non comburantur plante
eius: Sic qui ingreditur ad mulierem proxi-
mi sui: non erit mundus cum tetigerit eam.
Non grandis est culpa. cum quis furatus
fuerit. furatur enim. ut esurientem impleat
animam. Deprehensus quoque reddet septu-
plum: et omnem substantiam domus sue
tradet. Qui autem adulter est: propter cordis
inopiam. perdet animam suam. Turpitudi-
nem et ignominiam congregat sibi. et oppro-
brium illius non delebitur: quia zelus et
furor uiri non parcet in die uindicte. nec
acquiescet cuiusquam precibus. nec suscipiet

pro redemptione dona plurima. Fili mi cu-
stodi sermones meos. et precepta mea recon-
de tibi. Fili honora dominum. et ualebis. Preter
eum uero: ne timueris alium. Serua man-
data mea et uiues: et legem meam quasi
pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis:
scribe eam in tabulis cordis tui. Dic sapi-
entie soror mea es: et prudentiam uoca
amicam tuam. Ut custodiat te a muliere
extranea. et ab aliena que uerba sua dul-
cia facit. De fenestra enim domus mee per
cancellos prospexi. et uideo paruulos. consi-
dero uecordem iuuenem qui transit per pla-
teas iuxta angulum. et propter uiam domus
illius graditur: in obscuro aduesperascente
die in noctis tenebris et caligine. et ecce mu-
lier occurrit illi ornatu meretricio. preparata
ad capiendas animas: garrula et uaga. qui-
etis impatiens. nec ualens in domo consistere
pedibus suis: nunc foris. nunc in plateis.
nunc iuxta angulos insidians. Apprehen-
sumque deosculatur iuuenem. et procaci uul-
tu blanditur dicens. Uictimas pro salute
debui. hodie reddidi uota mea. Iccirco egres-
sa sum in occursum tuum. desiderans te
uidere: et repperi. Intexui funibus lectum
meum. straui tapetibus pictis ex egypto:
aspersi cubile meum myrra. aloe. et cinamo-
mo. Ueni inebriemur uberibus. et fruamur
cupitis amplexibus: donec illucescat dies.
Non est enim uir in domo sua. abiit uia
longissima: sacculum pecunie secum tulit:
in die plene lune reuersurus est domum suam.
Irretiuit eum multis sermonibus. et blan-
diciis labiorum protraxit illum. Statim eam
sequitur quasi bos ad uictimam ductus.
et quasi agnus lasciuiens et ignorans. et nes-
cit quod ad uincula stultus trahatur: donec
transfigat sagitta iecur eius: uelut si auis
festinet ad laqueum. et nescit quia de periculo

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/104, Fol. [2]r – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-o10b/6742/56599)